

MILES GLORIOSUS

(vv. 1-78)

Pyrgopolynices: Curate ut splendor meo sit clupeo clarior

quam solis radii esse olim quom sudumst solent,

ut, ubi usus veniat, contra conserta manu

praestringat oculorum aciem in acie hostibus.

nam ego hanc machaeram mihi consolari volo,

5

ne lamentetur neve animum despondeat,

quia se iam pridem feriatam gestitem,

quae misera gestit et fratrem facere ex hostibus.

sed ubi Artotrogus hic est?

Artotrogvs: Stat propter virum

fortem atque fortunatum et forma regia;

10

tum bellatorem... Mars haud ausit dicere

neque aequiperare suas virtutes ad tuas.

Pyrg.: Quemne ego servavi in campis Curculioniis,

ubi Bumbomachides Clutomistaridysarchides

erat imperator summus, Neptuni nepos?

15

Art.: Memini; nempe illum dicis cum armis aureis,

cuius tu legiones difflavisti spiritu,

quasi ventus folia aut paniculum tectorium.

Pyrg.: Istuc quidem edepol nihil est.

Art.: Nihil hercle hoc quidemst

praeut alia dicam – quae tu numquam feceris.

20

Periuriorem hoc hominem si quis viderit

aut gloriarum pleniorum quam illic est,

me sibi habeto, ego me mancupio dabo;

nisi unum, epityrum estur insanum bene.

Pyrg.: Ubi tu es?

25

Art.: Eccum. edepol vel elephanto in India,

quo pacto ei pugno praefregisti brachium.

Pyrg.: Quid, brachium?

Art.: Illud dicere volui, femur.

Pyrg.: At indiligenter iceram.

Art.: Pol si quidem

conisus esses, per corium, per viscera

perque os elephanti transmineret bracchium.

30

Pyrg.: Nolo istaec hic nunc.

Art.: Ne hercle operae pretium quidemst

mihī te narrare tuas qui virtutes sciam.

Venter creat omnis hasce aerumnas: auribus

peraurienda sunt, ne dentes dentiant,

et adsentandumst quidquid hic mentibitur.

35

Pyrg.: Quid illuc quod dico?

Art.: Ehem, scio iam quid vis dicere.

factum hercle est, memini fieri.

Pyrg.: Quid id est?

Art.: Quidquid est.

Pyrg.: Habes...

Art.: Tabellas vis rogare? habeo, et stilum.

Pyrg.: Facete advortis tuom animum ad animum meum.

Art.: Novisse mores tuos me meditare decet

40

curamque adhibere, ut praeolat mihi quod tu velis.

Pyrg.: Ecquid meministi?

Art.: Memini: centum in Cilicia

et quinquaginta, centum in Scytholatronia,

triginta Sardos, sexaginta Macedones

sunt homines quos tu occidisti uno die.

45

Pyrg.: Quanta istaec hominum summast?

Art.: Septem milia.

Pyrg.: Tantum esse oportet. Recte rationem tenes.

Art.: At nullos habeo scriptos: sic memini tamen.

Pyrg.: Edepol memoria es optuma.

Art.: Offae monent.

Pyrg.: Dum tale facies quale adhuc, assiduo edes,

50

communicabo semper te mensa mea.

Art.: Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul,
ni hebes machaera foret, uno ictu occideras?

Pyrg.: At peditastelli quia erant, sivi viverent.

Art.: Quid tibi ego dicam, quód omnes mortales sciunt, 55

Pyrgopolynicem te unum in terra vivere
virtute et forma et factis invictissimum?

Amant ted omnes mulieres, neque iniuria,
qui sis tam pulcher; vel illae quae here pallio
me reprehenderunt. 60

Pyrg.: Quid eae dixerunt tibi?

Art.: Rogitabant: 'hicine Achilles est?' inquit mihi.

'Immo eius frater' inquam 'est'. Ibi illarum altera

'Ergo mecastor pulcher est' inquit mihi

'Et liberalis. vide caesaries quam decet.

Ne illae sunt fortunatae quae cum isto cubant.' 65

Pyrg.: Itane aibant tandem?

Art.: Quaen me ambae obsecraverint,

ut te hodie quasi pompam illa praeterducerem?

Pyrg.: Nimiast miseria nimis pulchrum esse hominem. **Art.:** Immo itast.

Molestae sunt: orant, ambiunt, exobsecrant

videre ut liceat, ad sese arcessi iubent, 70

ut tuo non liceat dare operam negotio.

Pyrg.: Videtur tempus esse, ut eamus ad forum,

ut in tabellis quos consignavi hic heri

latrones, ibus denumerem stipendium.

Nam rex Seleucus me opere oravit maxumo, 75

ut sibi latrones cogere et conscriberem.

Regi hunc diem mihi operam decretumst dare.

Art.: Age eamus ergo.

Pyrg.: Sequimini, satellites.